



XI. 1<sup>f</sup> Q.

(cat. 4, 22-33<sup>b</sup>)

DE  
LEGATO  
ACADEMIAE LIPSIENSIS  
AD  
CONCILIVM BASILEENSE

TRACTATIO HISTORICA

D. FRIDERICI IMMANVELIS SCHWARZII  
THEOL. PROF. PVBL. ORD. ET FACVLTATIS THEOLOGICAE  
H. T. DECANI.



---

LIPSIAE  
EX OFFICINA KLAUBARTHIA.

DE  
F E G A T O  
ACADEMIAE LIBRARIÆ  
CONCILIUM RASICENSIS

FRANCISIUS HISTORICUS  
D. FRANCISIUS MINNULUS SCHWABEN  
THEOLOGUS ETORIUS Q. D. T. THEOLOGUS  
EX ALBACINA

FESTIVE  
EX OFFICINA RIBAURIANA



**Q**ui sub finem Constantiensis Concilii romanae ecclesiae pontifex creatus erat, ex ordine patrum purpuratorum Otto Colonna, cum dignitate pontificali nomen Martini V. adeptus, sub finem vitae novum concilium, in Constantensi promissum, post Papensem et Senensem synodum brevi tempore sinitam, Basileae habendum indixerat, cuius vero initium vivendo attingere ipsi haud contigit, eo enim, die XX. Februarii A. MCCCCXXXI. fatis functo, et Eugenio IV. ad eam dignitatem electo, concilium Basileense die XXIII. Julii coepit est. In quo cum praeter alia ecclesiae dogmata, tum quidem controversa, de utroque Sacrae Coenae, a Servatore Jesu Christo tempore paschalis institutae, elemento, calice nimisrum cum Husitiis, et pane azymo cum Graecis actum sit; a temporis ratione et diei paschalis celebratione non omnino alienum fore putavimus, si non nihil de concilio illo in praesenti differeremus, et ex historia tam illius, quam academiae nostrae ea repeteremus, que ab hujus legato in illo acta sunt, ut haec quodam modo comparari queant et in nexus suo cerni cum iis, quae haud ita pri- dem dicta sunt a nobis de legatis academiae Lipsiensis ad Concilium Con- stantiense. Si qua unquam synodorum maxime earum, quae oecume- nicae seu generales vulgo dici solent, per universam ecclesiam celebrri- ma extitit, sane Basileensis illa tum ob res summi momenti in ea gestas, tum ob miras, quas experta est, rerum vicissitudines et fata singularia, quibus obnoxia fuit, cum celeberrimis digna est, quae comparetur. Ad hanc synodum legatum misit, ad eandem appellavit, et ab eadem duas epि-

## IV.

epistolas accepit academia nostra, quae omnia de singulari, quod huic intercessit cum illa, commercio luculentum testimonium perhibent. Nos pro consilio et instituti nostri ratione in praesenti potissimum de legato academie nostrae ad concilium illud celeberrimum, in quo pri-  
mum potestas romani pontificis fracta, et summa, qua adversus omnia, concilia quoque oecumenica abuti solebat, auctoritas imminuta fuit, verba faciens, et hunc ordinem tenebimus, ut de legato illo primum, deinceps de partibus, a quibus in illo, per dissidia inter illud et pontificem romanum orta mire distracto, fletur, et denique de rebus ab illo intra et extra concilium gellis, dicamus.

Missus est ab academia Lipsiensi ad Basileense concilium legatus non nisi unus, idque ex antiquissimo quodam academiae documento probari a nobis posse eo magis laetatur, quo magis dubii et aincipites haerebamus, dum in monumentis historiae hujus concilii tantum de uno, non de duabus vel tribus, ut in Concilio Constantiensi, aliquid memoriae proditum reperire licet. Nam Caspar Bornerus, vir de academia nostra immortaliter meritus, qui indicem veterum documentorum, quorum pars injurya temporis proh dolor! intercidit, in eo haec habet sub litera B. Basileam ad concilium unus missus, eique dati 31. floreni. Rationarium fisci. Vide indicem ejusdem, nam mibi folium excidit. Certo igitur nobis constat de numero, quod non nisi unus ab academia legatus ad concilium missus fuerit. Ecquis ille fuit? Vir illa quidem aetate et literarum lande et meritorum fama celeberrimus, NICOLAUS WEYGEL, in antiquis monumentis WEYGIL dictus, Bregensis, vel rectius ex agro Bregensi, Silesius, tum quidem, cum legati in concilio Basileensi personam sustineret, philosophiae magister et professor, deinde vero Theologiae doctor et professor, tam maioris collegii principum, quam S. Mariae virginis collegiatus, ecclesiarum Wratislaviensis et Liguicensis canonicus, e duobus fratribus germanis, insignibus illius faculi Theologis, natus maior, teste inscriptione monumenti utrique communis, in cathedrali templo S. Joannis Wratislaviensi ante facillum, Hanckius sa-  
cristianus dicit, ab agnatis positi, quam hic nobis dedit in vita Casp. Weygelii descriptam: <sup>1)</sup> CASPARI WEYGEL hujus sacratissimae aedis Archidiaco-

<sup>1)</sup> In libro de Silesiis indigenis eruditis. cap. XXXI. p. 149.

diacono, et NICOLAO canonico, fratribus germanis, iisdemque sacrae  
Theologiae professibus, ex pago, quem HENRICI villam appellant,  
oriundis, viris summa virtute et ingenio atque doctrina singulari,  
Agnati bene merentibus eruditioris et pietatis monumentum posuerunt.  
Obiuerunt, CASPAR minor natu Wratislaviae, M.CCCC.LXII, NICOLAUS  
Lipsiac M.CCCC.XXXIXII. Etiam hic Caspar Weygel ornamentum  
quondam academie nostrae fuit, Philosophiae nimirum Magister et  
Professor, Collegii philosophici bis Decanus, anno 1439. et 1441. Aca-  
demiae Rector anno 1442. postea Theologiae Doctor et Professor, tan-  
dem ecclesiae cathedralis Wratislaviensis Archidiaconus. Inscriptio illa  
cenotaphii Wratislaviensis Nicolao strucili confirmatur inscriptione Lip-  
sensi, quae in monumento eius in aede Nicolaitana legitur: Anno  
M.CCCC.XXXXIII. XI. septembris obiit venerabilis et eximius vir, S.  
Theologiae PROFESSOR, MAGISTER NICOLAUS WEYGIL de Pregda, Collegii  
maioris collega, canonicus ecclesiae Wratislaviensis, hic sepultus. Non igitur  
est, quod de anno ejus emortuali dubitemus, in duobus monumentis expre-  
so; sed annum ejus natalem ignoramus. HANCKIUS eum anno circiter  
1395. natum esse scribit in vita eius, sed non probat, et dum probare vult,  
incerta aequa incertis probat, supponit enim, nondum vel attigisse vel  
implete esse aetatis anni quinquaginum, cum apud nos e vivis excel-  
serit. Unde vero hoc colligit? e Carmine, quod Nicolaus quidam  
Monachus Carthusiensis, Weigelii cum viveret amicus, illius ope-  
ri de indulgentiis praemisit, quod itidem nihil definit; subiectam ta-  
men lectorum oculis elegantissimos scil. ejus versus, ab Hanckio ex-  
cerptos. Ne irascaris vero, sed memineris, quaeфo, lector bene-  
vole, auctorem eorum suisse monachum, suisse Carthusianum, suis-  
se saeculi XV. monachum. Accipe igitur, ut sunt, rudi Minerva  
scriptos:

Hanc collecturam NICOLAUS et ipse MAGISTER  
Collegit WEYGIL, sapiens SILESITAQUE DOCTOR  
Apographiae: bene custoditur in annis  
Anno milleno, quadringentis quoque iunctis,

*Et quadragesimo quarto bene mortuus exflat,  
O Deus immense, cur doctos subtrahis orbi?  
Hic bene fecisset permulta docendo, legendo:  
Ipse senex non erat, melioribus is sicut annis.*

Eximiam et plane singularem et literarum et meritorum tum in universam rempublicam literariam, tum maxime in hanc academiam, laudem ipsi tribuit Hanckius; hunc enim si audias, fuit omnium studiorum capax, raro per illud faculum exemplo, ingenium et philosophicis et theologicis et juridicis exornavit, horumque specimen multiplex in Lipsiensium academia dedit, maxime cum auditores suos plenorem in modum eruditurus, disputationibus exerceret, et materias philosophiae primarias, subtiliores Theologiae controversias, et praecipua iurium tam civilium, quam canonicorum momenta proponeret; fuit praeterea vir laboriosissimus, qui arte longa vitam breviorem sibi reddidit, et tantus heluo studiorum, ut animi cura propemodum omne corporis robur enervaret, valetudinis negligenterius, qui recuperatas exiguo somno parvoque cibo vires mox debilitavit, cum et iusto diutius post somnum meditationibus inhaereret, et iusto citius post cibum libris accumberet. Haec de eo Hanckius, qui et quatuor eius opera enumerat, primum, quod *orationes varias potissimum theologicas*, in Basileensi concilio habitas, complectitur, secundum, *de veteri arte logica*, tertium, *Commentariorum de proprietatibus liber*, quartum *de indulgentiis tractatus*, in quinque partes, capitula LXXIX. divisus, cui Bellario Trapezuntinus, Archiepiscopus Nicaenus, tantum statuit pretium, ut eum describi Romanque transferri curaret suae Bibliothecae coniungendum, et qui, testie Hanckio, in Wratislaviensium Rhedigeriana Bibliotheca reperitur MSus. Praeter Bellarionem, episcopum graecae, episcopus quoque latinae ecclesiae, Joannes IV. ep. Misnensis, opus hoc, quod Weygelius exanini et censurae eius submiserat, anno 1440. vel sequente, multis laudibus extulit, et eius auctorem ob illud dignissimum iudicavit, qui summis in Theologia honoribus ornaretur, eumque ad eos capessendos adhortatus est, eique sumitus, ipsi ad id necessarios, promisit et erogavit, ut ex epistola illius ad hunc scripta et operi eius de indulgentiis annexa docet

cet Hanckius; <sup>2)</sup> e qua duo eluent, nimirum, Nicolaum Weygil, cum ad concilium Basileense mitteretur ab academia, gradu doctoris Theologiae nondum ornatum, et deinde, usum illius dignitatis diuturnum habuisse, scripta enim est epistola Joannis die ultima Martii M.CCCC.XLI. et Weygil die XI. Sept. anni XLIV. decepsit.

Ad concilium igitur Basileense accessit ille, cum esset philosophiae magister et professor, ac theologiae Baccalaureus formatus, in eoque personam legati academiae Lipsiensis, sed non solius, verum etiam illustrissimorum Saxonie principum et splendidissimorum ecclesiae praestitum sustinuit, Friderici Placidi, Pr. El. Sax. et fratris Guilielmi, ducis Sax. nec non Joannis Boffenii Mersburgensis, et Joannis IV. Misnensis epi-

<sup>1)</sup> In Vita Nicolai Weygelii l. c. p. 126. ubi epistolam Johannis IV. exhibet:

„ Joannes Dei gratia eccl. Misn. episc. inter sacrae Theologiae professores postremus venerabilis M. Nicolaus Weyglio, in eadem sacra Theologia Baccalaureo formato, Collegii nostrae Beatae Mariae Virginis et aliae Universitatis studii Lipicensis ecclesiarum canonico, nobis singulariter recommissio, sincerissimeque dilecto salutem. — Haec inquam sacra sancta synodus Basileensis pro magnis ecclesiae utilitatibus iuxta concilii Constantiensis determinationem in Spiritu S. legitime congregata universalem ecclesiam praesentans in Vos et personam vestram vices nostras pro tune gerentem votum suum iubente eodem spiritu securius transfudit. — In vinculo sincerissimae caritatis vos admoneamus, imo si fas est, mandato paterno et affectu pietatis praecepimus, et mandamus; quatenus in his studiis, sive operis agatis, ut etiam sub paucorum mensium spatio pro recipiendis insignibus Doctoralibus vos disponatis: atque sic fasciculus unicus sub gradu Baccalaureatus vestri feliciter collectus, Doctorali vestra approbatione in multiplicatum manipulorum felicius tenorecat acervum, caeterorum Doctorum in Ecclesia Dei laborantium numero felicissime aggregaturus. Paratissimi nempe sumus, ut sicut ad cursum vos naturaliter olim in minoribus et magis quietis praesentavimus; ita pro capillendi Magisterii in facrissima Theologica scientia apicibus per Bireti impositionem nunc senio confecti, turbinibusque diverlarum adversitatem iusto Dei iudicio excellenter agitati, laboribus et impensis minime parcendis curabimus possibiliter habilitare. Datum in castro nostro episcopali Stolpen, die ultima mensis Martii anno Domini M.CCCC.XLI.

## VIII

episcopi post huīus discessum e concilio, testē illius epistola, quam oculis lectorum subiecimus. In concilio illo et auxit et ornavit numerum doctorum, quorum tum fama haud vulgaris quidem erat, et quos magnis atque justis, ut opinamur, laudibus extulit Aeneas Sylvius, qui praefeūs erat in concilio, postea in ordine pontificum romanorum nomine Pii II. inclytus, in Commentariorū de gestis Basileensis concilii lib. I. cuius verba sunt: "Erat autem concio frequentissima; et si enim episcopi haud multi erant, plena tamen omnia fuerunt subsellia procuratoribus episcoporum, archidiaconis, praepositis, prioribus, presbyteris, ac divini et humani iuri doctoribus, quos aut quādringentos aut certe plures esse dijudicavi, quos inter nullum unquam probrum, nulla fixa, nulla unquam contentio fuit, sed alter alterum in professione fidei hortabatur, unanimisque omnium esse consensus ad defendendam ecclesiam ostendebatur." Testimonium hoc purum et sincerum iure opponimus calumpniae, qua Eugenius IV. illos ideo, quod conatibus eius impiis adverarentur, per oratores suos apud principes christianos proscindere curavit et iussit. Verba exhibet *Odoricus Raynaldus* in Annalibus Ecclesiasticis Tom. XVIII. ad annum 1436. p. 152. "Haec imperita illa multitudo, quorundam arte et astu decepta, fieri consensit in magnam concilii notam: Si enim per praelatos et graves viros fuisset Concilium Basileense celebratum, haec gesta non fuissent." Optime igitur Aeneas Sylvius consuluit doctorum omnium, et simul Weygelii nostri famae testimonio tam de eruditione, quam de pietate et in primis fidei pacisque conservandae studio eorum perhibito. Verum Weygelius non poterat non Eugenio displicere, cum a partibus eorum staret, qui sententiam, concilium esse supra papam, constanter defenderent, pontificibus admodum invidiosam, et a concilio Constantiensi iam antea defensam non solum, verum etiam factō, remotione nimirum trium pontificum comprobatam. Basileenses nimirum statim in sessione secunda XV. Kal. Mart. M.CCCC.XXXII. habita, decretum concilii Constantiensis instaurarunt et confirmarunt: "quod ipsa Synodus in Spiritu S. legitime congregata, generale concilium faciens, et ecclesiam militarem repraefentans, potestatem immediate a Christo habeat, cui quilibet cuiuscunq[ue] status vel dignitatis, etiam si Papalis, existat, obedere teneatur in his, quae pertinent ad fidem et extirpationem schismatis, et ad generalem reformationem ecclesiae

„clesiae Dei in capite et membris.“<sup>3)</sup> Hanc sententiam sibi probari, non dissimulavit Weygelius, quippe pontifici Eugenio eiusque consiliis et conatibus semper obnoxius; et auctoritatis concilii strenuus defensor, et ne tum quidem dissimulavit, cum Synodus Eugenium sede sua movere decerneret, ideo quod nec imperatoris, nec multorum principum, nec concilii monitus locum relinquere, sed invitis iis omnibus concilium Ferrariam transferre vellet, ut nimirum collegium dissolvetur, cuis membra in eo consenserant tantum non omnia, pontificem subesse concilio; soluto enim confessionis sibi ingratae et molestae vinculo, dissipata synodo et alia in huius locum congregata, facile ab hac impetrari posse sibi quidem persuadebat, ut sententiam illam non solum mitterent, sed etiam improbarent et damnarent. Causam huius consilii et conatus interserebat, synodum Basileensem neque legitime convocatam et constitutam, neque Graecis ad eam convocatis commodam esse Basileam, opportuniorem igitur deligendam esse urbem, ad quam itinere breviore et commodiore contendere possint, eaque de causa et sibi et Graecis Ferrariam placere. Sed utrumque veritati non constabat, non solum enim ipse concilium Basileense legitimum esse declaraverat, sed etiam Graeci, qui et legatos suos Basileam miserant. Sed legitime convocatum esse a Martino V. Eugenii antecessore, dubio caret, et legatus pontificis Julianus Cardinalis S. Angeli, qui tandem in proelio Värnensi anno 1444, una cum Ladislao, cui suasor et auctor consilii bellum redintegrandi, et comes in proelio erat, occubuit, in epistola ad Eugenium data strenue defendit his verbis: <sup>4)</sup> „Vehementer admiror, mihi Romae obiici, me non potuisse vocare praelatos ad concilium, quia in bulla Domini Martini haec clausula non fuerit adiecta; in primis non ego solus illos vocavi, sed ego et hi, qui hic in concilio convenerunt. Miras, Papa Martinus dabat mihi cum consilio concilii facultatem extirpandi haereses, pacificandi regna, reformati mores cuiuslibet fatus Christianitatis, et nunc audent dicere, quod non poteram citare. Datur mihi potestas iudicandi et condemnandi, et non habeo potestatem citandi.“ Haec ille.

<sup>3)</sup> Odoricus Raynaldus Annal. Eccles. Tom. XVIII, ad annum 1432. n. 8.

<sup>4)</sup> Edm. Riecherii Historia Conciliorum generalium lib. III. cap. II. sect. V. pag. 52.

Praeterea Eugenius ipse concilium Basileense pro legitimo habuit, et usque ad sessionem XXVI. auctoritate sua corroboravit.<sup>3)</sup> Nec de Graecis vel dubitari potest, vel negari, illos probasse et legitimum declarasse concilium illud, cum non solum oratores suos, imperator nimirum Joannes Palaeologus et Josephus Patriarcha Constantinopolitanus, Demetrium protoevliarium, Palaeologum Maeotiden, Isidorum abbatem S. Demetrii, ac Joannem Bissipatum ad illud miserint,<sup>4)</sup> sed etiam hic Joannes publice in illo professus sit, per literas ei exhibitas, patres ibi congregatos concilium Basileense facere, cui serenissimus Dominus suus Imperator Romaeorum, et reverendissimus dominus suus patriarcha Constantinop. obligentur. Verum furdis auribus narrabant Basileenses, quae tandem eunque Eugenio de non solvendo sed servando concilio suo legitimo suadebant ac demonstrabant, stabant enim pro ratione voluntas, solvendum erat, sic volebat sic iubebat Eugenius, Concilium Basileense et Ferrariae transferendum, mox igitur loco unius Concilii duo existebant, sibi opposita et contraria, Basileense et Ferrarensie; illud patrum, hoc papae partibus addictum; illi imperator Sigismundus, prae reliquis Galliae rex Carolus VII. aliquique principes, huic vero Graecorum imperator et patriarcha favebant, eique magnis pontificis pollicitationibus allecli intererant, quo facto Basileenses tandem adeo commoti sunt et exacerbati, ut in sessione XXXIV. die XXV. Junii A. M.CCCC.XXXIX. pontificem turpisimorum criminum postularent ac damnarent, suoque dimovendum esse loco iudicarent, atque eum pronunciarent notorium et manifestum contumacem, mandatis seu praceptis ecclesiae universalis inobedientem, et in aperta rebellione persistentem, violatorem assiduum atque contentorum sanctorum canonum synodaliū, pacis et unitatis ecclesiae scandalizatorem notorium, simoniacum, perirurum, incorrigibilem, schismaticum, a fide devium, pertinacem haereticum, dilapidatorem iurium et bonorum ecclesiae, iniurie ac damnosum ad administrationem romani pontificii, omni titulo, gradu, honore, et dignitate indignum, quem propterea sancta synodus a papatu et romano pontificio ipso iure privatum declaret et pronunciet ac ipsum ab eisdem amo-

<sup>3)</sup> Richerius I. c. cap. VII. sect. IV. p. 196.

<sup>4)</sup> Raynaldus Annal. Eccl. Tom. XVIII. ad annum 1434. p. 174.

"amoveat, destruat, privet et abiiciat." <sup>7)</sup>) Sed forte haec iusto durius  
et acerbius in Eugenium prouinciata sunt? Negat hoc cardinalis ecclae-  
siae romanae, Ludovicus, Arelatensem episcopus, imo decretum hoc  
necessarium ad reprimendam pontificum romanorum ambitionem fuisse,  
libere prouinciavit, teste Aenea Sylvio in libro primo gestorum concilii  
Basilensis, p. 50.<sup>8)</sup> Autoritate igitur concilii Eugenius IV. dignitate et  
dominatione pontificia privatus, in eiusque locum die XV. Nov. A.  
MCCCC.XXXIX. Amedeus, Sabaudiae dux, videns, electus est pon-  
tifax, nomine Felicis V. in catalogo romanorum pontificum inclusus.  
Equis horum consiliorum auctor et adiutor strenuus et constans? Wey-  
gelius, academias nostras legatus, vir prudens, solers et facundus, cu-  
iis rei testem habemus Hanckium,<sup>9)</sup> qui ad fidem codicem MSC. et  
aliorum monumentorum provocat, in quibus memoriae proditum sit,  
inter huic decreti auctores Weygelium fuisse, quippe qui facundiam fo-  
lertiampque suam crebris orationibus, rationibusque solidis ostenderit,  
seque multis admirabilem, omnibus amabilem fecerit, et maxime car-  
dinalis Ludovici, episcopi Arelatenensis sententiam saepius et comproba-  
verit et illustraverit.

## 7) Harduini Concilia Tom. VIII. p. 1264

8) Verba Aeneae Sylvii sunt: "Arelatenis (scil. episcopus) praesentem aetum,  
"nimirum depositionis Eugenii, praecipue laudibus extulit, quod patres  
"concilii et publice veritatem conselli fuisse, et ab ecclesiae fide se mini-  
"me sequestrassent. Ingressus que rei narrationem, fuisse se Pisis ac Con-  
"stantiae, inquit, nec unquam sessionem vidisse aut quietiorem aut devo-  
"tiorem, tum propter lachrymas omnium, qui in tantae rei prosecutione  
"plorabant, tum propter sanctorum reliquias, quae in manibus sacerdo-  
"tum adiectae et devotionem et auctoritatem rei maiorem addebat; ne-  
"cessariumque fuisse illud decretum, asseruit, ad reprimendam romanorum  
"Pontificum ambitionem, qui se supra universalem ecclesiam extollentes  
"omnia pro libidine sua se posse, arbitrantur, ne posthaec unus homo ec-  
"clesiam nunc Boniam, nunc Florentiam, rursus Boniam, mox Fer-  
"rariam, et deinde iterum Florentiam, ut Eugenius artefactavit, traduce-  
"ret, et romani pontifices paululum animum a temporalium sollicitudine  
"rerum retraherent."

9) De Silesis eruditis indigenis p. 125.

Rēm hand minoris momenti, causam nimirum calicis restituendi Hussitis, quem hi a concilio magnopere efflagitabant, in illo peregit, socii reliquorum pacis et concordiae studiorum in illo. Per longam annorum seriem experti erant Hussitarum iram Austriaci, Bohemi, Lusatii, Misnenses, Brandenburgenses, et reliqui omnes catholici, quos Huslītæ fibi infensos, et caulae Hussi, ac religionis per illum emendatæ adversantes habebant, nec armis, ad quae capessenda propositis indulgentiarum praemis catholici ab Eugenio excitabantur, et insu eius conscribebantur, in haereticos, Hussitas puta, cruce signati exercitus,<sup>10a)</sup> debellari ac vinci posse videbantur, qua de causa aliam viam tentandam esse rati Basileenses, ad reprimendam Hussitarum haeresin convocati, pacem illis offerendam cum iisque sanctiendam esse sapienter indicabant; intitunt igitur oratores ad Bohemos, qui eos ad unionem cum ecclesia blande invitent, utque oratores suos ad concilium mittant, ipsis persuadent; et vere perfluerint. Accedunt Hussitæ, ducibus Joanne Rokkyzana et Procopio Rasi, qui traxi visu erat adeo, ut et infantibus Basileensibus instar terriculamenti esset, et tribus aliis, ad concilium trecenti, nec mirum, adventum hominum, quorum vel nomen auditum illa aetate omnibus ingentem terorem incutere solebat, quod in proverbium abierat, unum quemque militem Bohenum habere centum diabulos,<sup>10b)</sup> omnes in admirationem rapuisse, teste Aenea Sylvio, qui praefens erat, dum haec gerebantur: <sup>11)</sup> „Legatio CCC equitum Basilean missa, cuius „principes fuere Guil. Cosca, non tam equestri dignitate, quam eccl- „iarum direptione insignis: Procopius cognomento Rafus, idemque „multis victorijs magnisque sceleribus nobilitatus, Joannes Rochezana, „Pseudopragensis apostolus; Nicolaus Galeus Thaboritarum sacer- „dos,

<sup>10a)</sup> Raynaldus in Annal. Eccl. Tom. XVIII. p. 80. Exemplar epistolae promulgationis bullæ cruciatae indulgentiarum adversus Hussitas, Iohanni IV. Ep. Misn. scriptæ extat in Cochlaei Historia Hussitarum lib. VI. 240. et exemplar epistola executionis bullæ illius apostolicæ a Johanne IV. per dioecesim Misn. missæ ibid. p. 242.

<sup>10b)</sup> Lenfant Histoire du Concile de Basle Tome second livre XVII. p. 2. C'étoit un proverbe assez commun en Allemagne que dans un seul Soldat Bohémien il y avoit 100 Démons. Balbini Epit. rer. Bohem. p. 480.

<sup>11)</sup> In Historia Bohemica cap. XLIX. p. 157; et Theobaldus.

dos, et Petrus Angliens, patria profugus, ac solis elenchis in disputa-  
 "tione confidens. Emissus extra moenia urbanus populos, ex synodo  
 "quoque complures, adventum fortissimae et iam fama celebratissimae  
 gentis pro portis expectavere. Alii frequentes in plateas, qua transi-  
 tus esset, convenere; matronae, pueri, puellae fenestras atque tecta  
 complevere, alii hunc, alii illum digito designare; peregrinos habitus,  
 noua vila prius vestimenta mirari; horribiles hominum facies, truces  
 notare oculos; non esse alienum dicere, ab ea hominum specie facta,  
 quae fama prouiderat; in unum tamen cuncti Procopium desigere lu-  
 mina, illum esse, qui toties fidelium fudisset exercitus, qui tot oppida  
 subvertisset, tot hominum milia neci dedisset, quem sui pariter atque  
 hostes meuererent: invictum doceam, audaceam, intrepidum, neque la-  
 bore, neque timore superandum." Haec ille. Hi perhumaniter et  
 honorifice excepti a Juliano Card, legato pontificis et patribus Basileensi-  
 bus, quatuor illos articulos, in historia illius aetatis celeberrimos, con-  
 cilio offerunt nomine regni Bohemiae et Marchionatus Moraviae A.  
 M.CCCC.XXXIII. in feso S. Tiburtii, precati, ut ipsis suum consen-  
 sum praebere Basileenses velint, ut libere teneantur, doceantur, et irre-  
 vocabiliter observentur in regno Bohemiae, et Marchionatu Moraviae ac  
 locis eis adhaerentibus in hac parte; *primo*, ut communio sub utraque  
 specie, scil. panis et vini, universis Christi fidelibus, iis per sacerdotes  
 liber ministretur; *secundo*, ut omnia peccata mortalia et praesertim pu-  
 blica per eos, quorum interstis, rationabiliter et secundum legem Dei  
 cohibeantur, corripiantur et eliminantur; *tertio*, ut verbum Dei a sa-  
 credotibus Domini et levitis idoneis libere ac fideliter praedicetur; et  
*quarto*, quod non licet clero tempore legis gratiae super bonis tempo-  
 ralibus saeculariter dominari; et his quatuor articulis secundum judicem  
 parte ex utraque concordatum, se paratos esse nniri, et esse unum modo  
 quo omnes christiani fidèles uniri secundum legem Dei obligentur, de-  
 clarant. Ut de vero sensu secundi et quarti articuli omnibus constet,  
 illustrabimus eos breviter, non verbis nostris, sed RICHERII, Theologi  
 pontificii et doctoris Sorbonici. Mirum videri poterat argumentum ar-  
 ticuli secundi ideo, quod per se manifestum sit, puniri debere omnia  
 peccata mortalia et publica, ut auctoritate concilii ad id stabilendum  
 opus non fuerit; sed monet Richerius, illud de puniendis peccatis mor-  
 talibus et publicis ad reformationem cleri spectare, qui quidem propter

im-

immunitates ordinis ecclesiastici impune scortatus sit, et alia eiusmodi patraverit sclera, quorum ipsemet Cardinalis Julianus cum magno terrore meminerit, praesertim in priore epistola ad Eugenium. De quarto articulo monet, non repugnasse Bohemos, quin ecclesiastici uterentur proventibus bonorum temporalium, essentque usufructuarii, sed tantum de supremo dominio questos esse, quod asylum visum fuerit sceleratis clericis, quoniam ratione illius dominii ecclesiastici impune peccaverint, nec a quoquam corrigi potuerint, cum essent supremi domini temporales, idque magno fuerit scandalo.<sup>12)</sup> Sed quanquam spes unionis frustrata esset Bohemos, quam diu in concilio praesentes erant, tamen post abitum eorum, unio illa per legatos Concilii missos ad illos, concessa primo potissimum articulo, cui Basileenses initio vehementer contradicebant, restituta est, aegerrime id licet ferente pontifice Eugenio. Calicem igitur Hussitis restitui vidit<sup>13)</sup> Weygelius, sed litem de pane azymo<sup>14)</sup> aliisque rebus graecam inter et latinam ecclesiam controversis

com.

<sup>12)</sup> Richerius Hist. Concil. General. lib. III. cap. II. Sect. VIII. p. 71.

<sup>13)</sup> Raynaldus Annal. Eccl. Tom. XVIII. p. 108. „Disputatum est quinquaginta diebus ait Aeneas Sylvius (nimurum in Hist. Bohem. c. L.) multato in utramque partem adducta. Postremo cum vieta Hussitarum perfidia vinci nollet, ad tractatus ventum: tentatum, si forte amice trahi possent. Missi et oratores ex concilio in Bohemiam, viri doctissimi, et qui gentis versutiam possent. Multa cum Bohemis agitata, nunc pacis spes facta, nunc belli metus. Ultima Novembris die ediderunt concilii oratores cum Pragenibus hanc concordiae formulam de usu calicis: Quod dictis Bohemis et Moravis suscipientibus ecclesiasticae unitatem et pacem realiter et cuncte facta, tam in omnibus aliis, quam in usu communionis utriusque speciei, fidei et ritu ecclesiae universalis conformibus, illi et illae, qui talis usum habent, communicabunt sub duplice specie cum auctoritate Domini nostri Iesu Christi.“ Exstat haec formula apud Cochlaeum Hist. Hussit. lib. VII. p. 271.

<sup>14)</sup> Historiam et argumentum hujus controversiae doctissime pariter atque elegansissime pertractavit Magnificus et Summe Venerabilis HERMANNUS, Theologorum Saxoniorum Princeps, de academiis, ecclesiis et scholis per universam Saxoniam immortaliter meritus, in aureo libro *Historia concertationum de pane azymo et fermentato*, inscripto, qui omnibus Theologis et inter hos immortali in primis Tubingensium Cancellario ac Theologo J. F. Cottae in suum pretio semper fuit. Vide quae de eo scripsit in observatione.

componi non vidit; Eugenius enim Imperatorem Joannem Palaeologum et Patriarcham Josephum in partes suas pertraxit, ut non Basileam, sed Ferrariam ad concilium ibi Basileensi oppositum venirent, et eum quoque, cum id Florentiam translatisset, illuc sequerentur, et unionem ibi faccirent cum romanis, quae d'urna quidem non fuit, sed a Graecis in patriam reversis mox rescissa est. Ferrariam enim non accessit Weygelius, sed, mortuo Imperatore Sigismundo, cum electores, et reliqui principes, orto inter Pontificem et Concilium schismate, Francofurtum secederent, ut neutrus partes sequi velle viderentur, verisimiliter cum iis Francofurtum abiit, nisi forte iam tum ad indulgentias pro Graecis colligendas iter ingressus est, quod a veri specie non alienum esse videtur, cum olim in Bibliotheca maioris collegii principum inter M&aacute;ta assertatae fuerint, teste Felleri catalogo codicum MSCtorum Bibliothecae Paulinae in academia Lipsiensi p. 402. *Fridericus imperatoris literas ad Universitatem Lipensem*, ut Doctores et Magistros quosdam mittant in conuentum Francofurtensem ob dissidium exortum; et praeter illas quoque: *Johannis Misenensis literae ad eandem Universitatem in eadem causa*; nec non *Concili Bafleensis epistolae duae ad Universitatem Lipensem*; si enim Weygelius cum aliis Francofurtum tecessisset, cur alii legati ab academia requisiti fuissent? Sed de re incerta quid certi afferri posset? Hoc tamen, quod certissimum, et ex huius quoque concilii actis manifestum est, silentio haud praeterreundum esse censamus, institutum illud, ab academiis legatos ad concilia requirendi, academiis tam gloriosum, quam utile fuisse; horum enim curae inter alia et hoc deberunt, quod in concilis decreta facta sunt, de commodis academiarum procurandis et beneficiis illis tribuendis. Id factum est in Basileensi, ubi tam docentium, quam discentium commodis prospectum fuit. In sessione enim XXXI. decretum dederunt patres conscripti, „ut unaquaque eccllesia cathedralis teneatur et debeat canonicatum et praebendam, quam primum facultas se obtulerit, et inventari potuerit, uni magistro, licentiatu, vel in theologia baccalaureo formato conferre, qui per decennium in universitate privilegiata

stu-

vationibus ad Gerhardi Loc. Theol. Tom. X. p. 30. sequ. et quantamquamque insignem laudem ei merito tribuat magnus ille Walchius in Bibliotheca Theol. selecta. Tom. II. p. 579.

„studuerit; veruntamen ut liberius studio vacare possit, nihil perdat,  
 „cum absens fuerit a divinis; doctoribus deinde seu licentiatis in altero  
 „iurium vel medicina, qui per septem annos in sua facultate studuerint,  
 „in universitate, ut supra; magistris seu licentiatis in artibus cum rigore  
 „examinis, qui per quinquennium in aliqua universitate a logicalibus in-  
 „clusis et supra in artibus, vel in alia superiori facultate studuerint.“<sup>25)</sup>  
 Praeter docentes discentibus quoque seu studiosis eorumque commodis  
 consilium voluerunt patres Basileenses, in eadem enim sessione pree-  
 perunt, ut gratificentur studentibus in aliqua celebri academia tertiam  
 partem praebendarum, dignitatum, atque aliorum beneficiorum vacan-  
 tium illis reservari, ea quidem lege, ut graduin academicum accipient,  
 et graduat tempore quadragesimae suas qualitates collatoribus beneficio-  
 rum rite insinuant et significant.<sup>26)</sup>

Haec intra concilium a Weygelio una cum sociis gesta sunt, deli-  
 berata et decreta, extra illud, insu tamen illius negotium in se suscepit  
 satis molestum, colligendi indulgentias pro reductione Graecorum, ut  
 tum quidem dicebantur, cuius rei historiam delineabimus. Ecclesia ro-  
 mana, Eugenius et concilium Basileense consilium cuperant, reducendi  
 Graecos, ut loqui solebant, in gremium scilicet matris i.e ecclesiae romanae,  
 nec Graecis consilium illud displicebat, illa potissimum spe inducis,  
 auxilium aduersus Turcas, quorum potentia in dies aucta imperio oriental-  
 i interitum minabatur, ab unitis sibi imperatore, pontifice, et  
 principibus ecclesiae et imperii occidentalis impetrandi. Invitabant  
 Graeci Basileenses, ut Constantinopolim veniant, Basileenses vero  
 Graecos, ut Basileam profiscantur, credunt his Graeci et promit-  
 tunt, se venturos esse, sed iter longinquum et sumtuosum remo-  
 rari adventum suum, petere igitur, ut naves et pecuniam mit-  
 tant seque commeatu necessario et triremibus invent. Sed unde su-  
 mimus pecuniam? Haec quaestio Basileensis magnam aerumnam crea-  
 bat et molestiam. Unde? In promptu est; a peccatis Christianorum  
 eorumque poenis pecunia redimendis. Fiat igitur, elargiamur indul-  
 gen-

<sup>25)</sup> Harduini Collectio Conciliorum Tom. VIII. p. 1248. seq.

<sup>26)</sup> Harduin l. c. p. 1249. Richerii Hist. Concil. general. lib. III. p. 96.

gentias omnium delictorum et peccatorum universis christianis, qui preces ad Deum pro Graecorum unione fuderint, et ex opibus suis (solae enim preces non sufficiunt, numeranda est etiam pecunia) aliquid ad eorum subsidium erogaverint. Detur ergo *bulla indulgentiarum remissionis omnium peccatorum semel in vita et semel in morte, in favorem subfidi pro reductione Graecorum procurandi.* Hae intra bieunum erogandae et colligendae erant, cuius initium esse debuit XVIII. Cal. Mai. M.CCCC.XXXVI. nec tamen parce, sed admodum liberaliter et largiter erogari iubebantur pecuniae; decreverat enim concilium affluenter aperte spirituales thesauros, quos ipse salvator ascensio in coelum sibi reliquerit; accipe reliqua eius verba: „omnibus Christi fideliis utriusque sexus, qui ad hoc sanctum opus tantum contribuerint, quantum quisque una integra hebdomade pro sua personae ac familiae, si eam habuerit, refectio exponit, vel si de propriis viveret, exponeret; reliquias quoque pro quibus suis conventus, aut superior, vel aliis iuxta praedictam rationem erogaverit: omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, sancta haec synodus auctoritate Dei omnipotentis, et de eius misericordia confusa, illam plenariam remissionem impertitur semel in vita, et semel in mortis articulo.“<sup>17)</sup>

Inter illos, qui curam negoti istius in se suscipiunt, Weygelius noster est, rurum profecto exemplum professoris academicorum indulgentiarum nondinatoris, quo alias officio monachii plerumque fungi solebant. Fit igitur legatus academie Lipsiensis ad concilium, nunc legatus concilii ad Lipsienses et alios ad conquirendas pecunias. Hic modus acquirendi seu conquirendi pecunias tum temporis tam crebro adhibitus et repetitus est, ut quotiescumque pecunia opus erat, indulgentiae darentur, sed non nisi pro parata pecunia darentur, ut ideo mirum non sit, Christianos tam crebrarum et molestarum exactiorum impatientes ad ingum illud servile durissimum papale excutiendum paratisimos fuisse, simulac Lutherus sumnam iniuriam ostendere auderet, quae ipsis fiat per indulgentias. Decernuntur, ut vidimus, in concilio Basileensi, die XX. Februarii 1431. coepio indulgentiae pro reductione Graecorum, et eodem anno, die nihilum XX. Januarii indulgentiae a Martino V. pro extirpatione Hussitanorum.

<sup>17)</sup> Concilii Basiliensis XXIV. die XVIII. Cal. Mai M.CCCC.XXXVI. habita apud Harduinum Collect. Concil. Tom. VIII. p. 1219.

## XVIII

rum oblatae, ab Eugenio IV. renovatae et per legatum eius, Cardinalem Julianum in comitiis Norimbergensibus publicatae sunt, iussuque Joannis IV. ep. per episcopatum Misnensem collectae, in quo paulo post a Weygelio iridem colligebantur. Supereft epiftola illius feria III. post Dom. Jubilate illius anni scripta in caſtro epifcopali Stolpen, in qua uerſos et ſingulos abbates, priores, praepoſitos, Decanos, Archidiaconos, rectores ecclieſiarum parochialium, ac eorum loca tenentes praedicatores per Dioecesin Misnensem conſtitutos, bullam indulgentiarum a Jolio illo ibi transmiſſam ſingulis diebus dominicis et festiuis coram populo ſuo publicare materna lingua iubet, et ſub excommunicationis poena praecipiendo mandat.<sup>18)</sup> Et dum haec adhuc in Dioecesi Misnensi colliguntur, enī novae in eadem indulgentiae conquiruntur et exiguntur a Weygelio, a Concilio Baſileensi per episcopatum Misnensem et Archiepifcopatum Magdeburgensem ad eadem pro reductione Graecorum colligendas miſſo. Probat hoc ipsis Weygelii verbiſ Hanckius,<sup>19)</sup> quae invenit in Prologo operis ejus MſCti de indulgentiis Wratislaviae aſſervati ad Joannem IV. ep. Mſn. ſcripto, quae ex illo dabimus: „Joanni Misnensis ecclieſiae epifcopo etc. Nicolaus Weygil, artium liberalium Magister immeſitus, ſacraeque Theologie Baccalaureus formatus, ecclieſiae Wratislavienſis et sancti ſepulcri dominici Legnicenſis canonicus, ſalutarem ſeptimplicem ſperans indulgentiam, utilisque hominiſ felicitatem deifice adipisci. Reverende Pater et domine gratioſe: Sacra synodus Baſileenſis, in qua poſt eiusdem veftrae paternitatis a dicta synodo diſceſſum locum et vices tenui, licet indigetus, inſufficiens, ut verbiſ utar Iſaiae prophetae, ad annouciandam eius sanctam intentionem manuſuetis et devotis Christi fidelibus per provinciam Magdeburgensem et vefram Misnensem Dioecesin miſit me, ut mederer conſolationis verbo contritoſ corde, et praedicarem captiuis per reatum culpe Indulgentiam: Indulgentiam in quam data m omniſbus corde contritiſ et ore confeſſis contribuentibus pro facto reductionis Graecorum: florigera prata catholicae ſcripturae peragrans, quae egregiis ſtudiis late et undique pateſcunt, iuxta id sapientis; aperta ſunt prata ſci. ſcripturarum, et appaueunt herbae virentes, oculos ſcilię cordis recreantes, ut indulgentiis praefatis ſine quacunque ratione perfaepe contradicentibus, et de auctoritate quoque dandi

<sup>18)</sup> Vide notam <sup>16a</sup>, et Hanckium de Sileſiis eruditis indigenis p. 123.

<sup>19)</sup> L. c.

„dandi eas per generale concilium dubitantibus responderem, paratumque  
„me constituerein.“ Constat igitur ex his Weygeli verbis, iam tum a mul-  
tis exactiōnū illarū pertaefis, indulgentiis contradicūt esse, quod  
factum esse haud ita multo post in Burgundia, refert Raynaldus,<sup>20)</sup> com-  
plures nimirum tum saeculares, tum religiosos sacerdotes, vel ex infidit,  
vel ex imprudentia, vel praecepsis linguae lapsi in privatis disceptationi-  
bus et concionibus publicis nonnulla effutissē aduersus sacrarū indulgen-  
tiarū dignitatē, tum de culparū et poenarū spiritualiū remissio-  
ne et confessioniū sacramento catholicae fidei adverfantia protulisse, sed  
ne qua inde offendit publica oriretur, a pontifice mature cautum fuisse.  
Caeterum Weygelius verbis illis, quod de auctoritate dandi indulgentias  
per generale concilium a quibusdam dubitetur, Eugenium perstringit,  
qui hanc potestatem Concilio Basileensi, ortā inter illum et hoc dissensio-  
ne, denegabat, aegerimē id ferente concilio.

Ut denique nobis de modo colligendi indulgentiarū pecunias a  
Weygeli tum in hac urbe aequē ac aliis civitatibus adhibito constet,  
quem concilium praescripsit, legem concilii de illo latam hie repetemus:  
„Ne autem in colligendis et conservandis pecuniis fraus aliqua committatur,  
„ordinat sancta synodus, quod in qualibet cathedrali in civitatibus, in  
„oppidis vero et aliis locis in principali ecclesia, unus cippus, truncus,  
„vel capsā ponatur, ubi tanquam in gospophylacio Domini quilibet pe-  
cunias erogandas, ac incerta et ablata, seu illicite quæsita reponere pos-  
sit ac debeat. Cuius sint tres claves, quarum unam teneat episcopus,  
„vel cui voluerit ipse committere, pro qualibet trunco in omnibus locis,  
„civitatibus et dioecesibus; capitulum aliam in cathedrali, praelatus seu  
„rector in principali; tertiam timoratus aliquis vir, quem civitas, oppi-  
„dum, seu locus deputare voluerit, qui diebus per eos statuendis talem  
„cippum, truncum vel capsam coram notario vel duabus fide dignis ape-  
„riant personis, et pecunias ad fidis manus deponant, eas sine fraude,  
„diminutione vel contradictione illi vel illis assignaturi, quos haec sancta  
„synodus ad hoc deputaverit.“<sup>21)</sup> Eudem modum colligendi indul-  
gentiarū thesaurum ut alibi, ita et hic in eo, quo sepultus est, templo  
temulisse Weygelium, vix est, quod dubites.

O nos

<sup>20)</sup> Annal. Ecclef. Tom. XVIII. ad annum 1448. p. 351.

<sup>21)</sup> Concilii Basili, sess. XXIV. apud Harduinum Collect. Concil. Tom. VIII.  
pag. 1220.

O nos terque quaterque felices, qui ab indulgentiarum istarum mortaliis importunisque exactioribus, quarum iugum, quod neque maiores nostri, neque nos portare valuimus, a cervicebus Christianorum magnus ille Lutherus, purioris seniorisque doctrinae instaurator, divinitus excitatus et missus, excuslit, immunes ac liberati sumus, et certa fide tenemus, nos gratis inslificari ex gratia Dei per redemtionem factam in Christo Jesu, ei huius perfectam institiam λογίσετθαι ἡμῖν τοῖς πιστεύοντος ἐπὶ τὸν ἐγέραντα Ἰησοῦν τὸν Κύριον ἡμῶν ἐν νεκρῷ, ὃς παρεδόθη διὰ τὰ παρεπτώματα ἡμῶν, καὶ ἤγερθη διὰ τὸν δυνάμων ἡμῶν. Cuius summi erga nos beneficij Servatoris O. M. memoriam illo die, quem pia antiquitas celebrando tain illi quam illius auctori divino sacram effe insit, pie lancteque coleamus, Deoque gratias persolvamus, qui loco nundinaturum indulgentiarum, ecclesiae dedit doctores pios et eruditos de salute solo merito Christi partare et sentientes et docentes, qui nos statuunt quicquam scire inter nos, nisi Jesum Christum eumque cruci affixum, et quibus nihil antiquius est, quam hoc, ut admoneant ecclesiam: μηνύεντες Ἰησοῦν Χριστὸν εγγεγένεντα ἐν νεκρῷ. Huius igitur officii pietatis in Servatorem, spei, fidei, solatii atque salutis nostrae auctorem memor erit, eiusque memoriam nobis commendabit futurus ecclesiae doctor, qui praeclara industria et morum probitate haud vulgarem de se spem excitavit, Vir Clarissimus, GUILIELMUS AUGUSTUS ACKERMANNUS, CIZENSIS, philosophiae Magister et sacrarum literarum cultor, multa laude conspicua, qui e cathedra sacra dicet de maiestate Christi e mortuis resuscitati in illius resurrectione omnium mortuorum gloriose conspicua, et simul pro vita et salute Serenissimi Principis Electoris FRIDERICI AUGUSTI patris patriae indulgentissimi, eiusque serenissimae coniugis et filiae pia vota nuncupabit. Adeste igitur, Cives optimi, et in societatem pietatis nostrae laudunque dieendarum divino Servatori, gloriose in vitam redeunti, gloriose ad omnibus vita funditis vitam reddendam olim reddituro, qui illustri et glorioso suo in vitam redditu mortem abolevit, et vitam in lucem produxit et immortalitatem, veniatis quaesumus. Quibus precibus humanissimis decentissimisque si locum benignissime reliqueritis, Comites illustrissimi, Proceres utriusque reipublicae gravissimi, Commitones Generosissimi, Praenobilissimi atque doctissimi, et pius hoc institutum frequentia veltra probare, et praesentia perhonorifica cohonestare haud dediguntis fueritis, habebimus sane, de quo et nobis et academiae gratulari possumus, P. P. Dom. Palmaram A. R. S. MDCCCLXXXVI.

Yc6769



3

56.

Retro V 9.1.01

H.C.

W17



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimeters



DE

L E G A T O  
ACADEMIAE LIPSIENSIS

AD

CONCILIVM BASILEENSE

TRACTATIO HISTORICA

D. FRIDERICI IMMANVELIS SCHWARZII

THEOL. PROF. PVBL. ORD. ET FACVLATATIS THEOLOGICAE  
H. T. DECANI.



LIPSIAE  
EX OFFICINA KLAUBARTHIA.